

ter adducunt Doctores in justificationem hujus Regii recursus, quos citavimus *supra*, c. 1. n. 16. quod licitum sit parti resistere, & prohibere judici volenti exequi suam sententiam appellatione suspensam. Eodem modo, & urbanus poterit ipse Princeps, cujus proprium officium est, vi oppressos liberare, cujus proprium officium est, vi oppressos liberare, ne procedat appellatione pendente, scilicet eo tempore, quo poterat oppressus, nempe volenti exequi, & ultra dictos Doctores, vide post alios Cæned. in q. canon. 45. num. 22. & n. 60. & *supra* n. 4. ergo intentioni, & animi deliberationi judicis à principio est resistendum, ex ipsorum Doctorum assertione, satis clarè patet, ut hoc intelligant ante factam executionem, & vide quæ nos *supra*, c. 1. pral. 3. *prope principium*, *vers. quod & ex eo probatur*, à n. 85. ubi expressè docuimus.

33 Nonò, ampliùs nostra resolutio comprobatur, quoniam in actis, & sententiis negativis nulla datur executio facta judicis, & tamen ob solam denegatam delationem emissa appellationi (in casibus, quibus legitima sui natura reputatur) fundatur violentia, & recursus Regius per viam violentiæ, ita in terminis post Covar. *pract. q. c. 10. n. 1. vers. eadem ratione*. Avil. in c. 20. *prato. verb. usurpan. n. 21*. Villalob. in *arario com. opin. lit. J. n. 165*. probant pulchrè Bobadill. in *polit. lib. 2. c. 17. sub n. 129*. & Azeved. in *d. l. 15. tit. 1. num. 10. & 21. lib. 4. recopil.* qui quidem affirmant, quòd si in casu necessario iudex secularis imploraverit auxilium à iudice Ecclesiastico, & ipse ut tenetur prestare recuset, poterit talis secularis ab ista protervia, & negato auxilio ad superiorem appellare, & si deferre recuset, poterit recurri ad regia prætoria suprema per viam violentiæ, prout è converso etiam si coërceatur secularis iudex ab Ecclesiastico per censuras, petente auxilium à laico adversus eum, qui præterdum se exemptum appellavit ab Episcopi visitatione ex causa probabili; quia cum tunc secularis non teneatur auxilium suum impartiri; ut tradit Michaël Axia *de exhibend. auxil. in 8. col. in 3. cas. ex pag. 156*. Cæned. *canon. quest. 36. n. 14*. ideo postquam compareat coram Ecclesiastico petens revocationem censurarum, & ut absolvat eum, quòd si facere recuset, ad hac denegata absolute, & censurarum revocatione petita, poterit appellare iudex secularis, eo quòd non tenetur iure, impartiri brachium suum petito, usque quo videat iustè petito fuisse, & si appellationi huiusmodi non detulerit, poterit pro tollenda violentia recurrere ad Regium Senatium, qui declarabit, vim fecisse, & deferre appellationi, ita etiam tenet Azeved. *ubi proxime, in d. l. 15. tit. 1. n. 12. lib. 4. recopil.* quem exaggerens sequitur, & benè explicat Cæned. in *quest. canon. 36. n. 14*. videndus.

Absurdum enim foret, dicere, quòd appellationis denegata delatione ab actibus negativis, non posset ad Regem per viam violentiæ recurri, si aliàs sui natura appellatio licita est, & utrumque effectum habens: non solum enim in hac violentiæ cognitione consideranda est duntaxat executio ejusdem sententiæ, & gravaminis, à quo appellatum est; sed etiam alia attentata, quæ desuper committi possunt extra ipsam sententiam: plurima enim attentatorum genera reperiantur etiam appellatione pendente, licet directò non sit in favorem sententiæ. Finge, peto à iudice, ut mihi terminum concedat, vel me recipiat ad probandum, interloquitur negativè, mihi est licita isthæc appellatio quoad utrumque effectum (prout de eis, & aliis pluribus actibus negativis probavi latissimè *infra*, 2. p. c. 1. *per totam*) iudex illam sententiam exequi non potest, quia tanquam negativa non indiget factò hominis, quia non entis nullæ sunt qualitates; tamen si vim non fecisse declaratur in denegata delatione; posset ad ulteriora procedere, & exclusis, necnon negatis mihi legitimis defensionibus, poterit libere causam prosequi, usque ad diffinitivam sen-

tentiam, & eam sui ad libitum proferre: si igitur appellatio est legitima, & à jure approbata, ab iis actibus negativis suspendit jurisdictionem judicis à quo, ejusque manus ligat, ita ut ad ulteriora procedere nequit; quare si processerit, omne erit attentatum, quia gestum appellatione pendente, l. 1. & *roto tit. ff. nihil, novari append. cum vulgar.* igitur non valet consequentia; Sententia negativa non potest exequi, ergo ab ea legitima appellatio non causat attentata, nec quòd post ejus appellationem pendente non detur attentatus processus, quia falsum foret, quia certum est, quòd appellatio legitima suspendit effectum sententiæ, & jurisdictionem judicis, & etiam si ipsa sententia secum trahat executionem, notabile dictum vocat Sigism. Scacia *tract. de appell. q. 3. n. 18. & 74.* pulchrè Phil. Fran. in c. ad hoc *quoniam, sub n. 1. & sub n. 5. de app.* aliàs etiam mirabiles decisiones & doctrinas in his terminis videndas omnino adduxi à p. c. 13. à n. 206. ubi quòd huiusmodi appellatio denegata institutione suspèdat, & causet attentata.

Igitur si appellatio ab actibus negativis potest causare attentata, quando interponitur ab actibus, licet appellationem permittentibus, & appellatio adest legitima, cur recursu saluberrimo ad Regiam curiam esse privandus vi oppressus? Imò etiam aliud non timeretur attentatum, sola denegata delatio appellationi ab actu negativo fortior est causa, ut ad Regem hæc causæ per viam violentiæ trahantur, quoniam si ob solam denegatam appellationi licitæ delationem in sententia affirmativa datur recursus, quia ex ea iustè timeretur sententiæ executio, cujus fortius non erit concedendus in sententia, quæ secum irahit executionem? Quia plus gravat, plus si quidem influit causa in seipsa, quam in causato, *elem. 1. de reliquiis, & venerat. sancto, aut multò magis C. de sacrosan. Eccles.* propter unum enim quodque tale, & illud magis. Sed quia de hoc articulo latissimè egi *infra*, 3. p. c. 13. *vers. hinc incidit excludendus, dammandisque error, à n. 74. usque ad finem capituli, & superius per plures numeros*, quo loci tam explicitè, quam remissivè congestimus innumeròs casus negativos, à quibus licita est appellatio quoad utrumque effectum, suspensivum, & devolutivum, tam ab interloquutoris, quam à diffinitivis; & inde inferentes, validissimisque fundamentis comprobantes, nullo modo denegandum recursum Regium licitè appellationibus, prout ibi latè videre poteris, ac propterea hinc omitto.

Hinc audiendus non est Hieron. Ceval. (quem pro contraria parte citavimus in quarta argumento) q. 897. n. 902. *cum seqq.* qui contrarium videtur sentire. si vulgò credamus, prout à pluribus Advocatis, & Senatoribus in hoc Senatu communiter citatur, & intelligitur; ut scilicet in actibus negativis sit denegatus recursus per viam violentiæ, omniumque communi calculo reprobatur. Sed certè si attentius legatur Ceval. in d. loco non probat, id, ad quod (ut dixi) solet allegari, quapropter illi debitus reddendus est honor, ille enim loquitur in casu verissimo, aded ut (prout jacet) indubitabilis sit, & sine umbra difficultatis, nempe, quando vigore instrumenti gaurentigati actor petit executionem, & iudex illam denegat, ab hac denegatione actor appellationem interponit, iudex illi detulit, nec non executionem sententiæ negavit, quia non erat quid exequendum, cum sit actus negativus; inquit igitur hoc casu tunc, si ad suprema prætoria recurratur per viam violentiæ, nullam adesse decerni; quia tunc, ut inquit Sese *de inh. c. 8. §. 1. n. 5.* deficit fundamentum, deficit appellationis denegata delatio, & etiam executio, ipse insuper iudex Ecclesiasticus ad primam provisionem ordinariam potest respondere, ut detulit, & insuper defert libenter, & omnia (si quæ sunt) reponit.

Sed adhuc iste casus si absolute intellectus ab ipso Ceval. non magno caret scrupulo ex supradictis, tum quia licet iudex ipse deferat appellationi, & actus sit executio

executivus negativus; tamen cum à denegato juris beneficio, & privilegio, putà executione debita gaurentigio sit licita appellatio, prout latè diximus in d. c. 53. p. 3. & eadem 3. p. c. 4. à prim. quibus locis plura reddimus exemplaria, tunc suspensa remanet iudicis jurisdictione, & potest de facto ad alios actus ultra executionem procedere, & devenire, ideo recursus pro repositione attentatorum necessarius est, maxime cum ex *inferius* dicendis apparebit, etiam ubi adest delatio appellacionis, dari potest ad Regem recursus per viam violentiæ: tum etiam quia iste actor, cui ex gaurentigio denegata est executio, statim ac in iudicio instrumentum præsentatum est, poterit licitè ab huiusmodi denegatione appellare (ut dixi) & maximi est effectus, quia cum sit actus interloquutorius, poterit iudex reasumere jurisdictionem, appellatione mediante, & in causa procedere, juxtà doctrinam Fel. in *consultat. de off. deleg. per text. ibi, & quæ nos supra præced. diximus, & sæpe in suis locis*, ac ideo recurri potest ad Senatium delatione denegata, & si inveniat perperam denegatæ executionem instrumentum debitam, solet dari decretum tertii generis, putà, *que reponendo lo be cho, y oyendo de nuevo no haze fuerza, &c.* Sed quid erit dicendum; quando ipse Iudex causa petita executionem cognita, & auditis partis revocando executionem, negavit, sententiam additionis, quam dicimus, *de remate?* an idem sit dicendum, colliges ex iis quæ diximus d. c. præc. ubi latè, quando iudex possit interloquutoriam habentem vim diffinitivæ revocare, & ob interjectam appellationem jurisdictionem reasumere, & similia.

47 Ex nostra doctrina, quæ circa acta negativa scripta est, illud notabile infero, quòd si iudex Ecclesiasticus cognoscendo, an instrumentum sit usurarium, & inhibuerit iudici seculari, ne interim ad ejus executionem procedat, postmodum si ipse iudex Ecclesiasticus negativè pronuntiet, non adesse usuram, nec contractum esse usurarium, mandatque iudici seculari: ut ad ulteriorem executionem queat procedere; si pars, quæ egi de usura, appellat à sententia huiusmodi, petitque revocationem inhibitionis inclusæ in sententia diffinitiva, & mandari iudici seculari, quòd super se deat; debet ipse iudex Ecclesiasticus hoc facere, cum ipse nullatenus debeat revocare illam inhibitionem, pendente appellatione ab ejus sententia, vel termino pendente ad appellandum, ab ea: ista est pulchra doctrina Philip. Fran. in c. *cum teneantur* 17. n. 24. de appell. explicat & sequitur Scacia *de appell. q. 3. n. 24.* ecce legitimum appellationem, ab actu negativo, & attentatum ea pendente repositione dignum, licet ipsa sententia negativa principalis nihil habeat executionis, factò judicis; & ideo pro delatione, & repositione poterit licitè (ut diximus) recurrere ad Regia prætoria suprema per viam violentiæ tollendæ.

48 Ex qua doctrina pulchrè inferit Scacia *ubi proxime* n. 25. malam esse formulam sententiarum, quæ aliqui utuntur iudices in prima instantia, & causa appellabili sui natura, condemnando reum; addunt in fine sententiæ, quòd etiam relaxant, & decernunt quodcuque mandatum necessarium, & opportunum, quia hoc est, attentare, & decernere executionem pendente termino ad appellandum, quod facere non possunt, ut dicit Phil. Fran. *ubi supra*, quò loco insuper advertit, quòd iudex ipse debet appellante instante, illud decretum inclusum revocare, dummodo appellaverit infra legitimæ tempora, ex iis quæ ipse ibi effect. 4. num. 57. *vers. stringe.*

Cum quibus simul remanet responsum quarto argumento, *superius* pro contraria parte principalis quæ:

tionis appositio, ut scilicet, falsum sit affirmatè, in actibus negativis non dari recursum, ubi aliàs ab eis licita legitima, & permittitur appellatio suspendens jurisdictionem judicis, illam ferentis; aliis autem argumentis scilicet, primo. 2. & 3. *superius* etiam directò satisfecimus.

Restat tamen respondere quinto, & ultimo argumento, cui facilis patet responsio, quoniam prædicta verba, quibus concipitur decretum Regium: *Que orogues y reponga lo hecho despues de la appellacion, &c.* ex quo respiciant, & comprehendant attentata, si quæ sint, non possunt dici esse sine effectu aliquid operandi, quæ tunc dicerentur talia, quando aliquid reperitur attentatum, & denegatur ejus repositio, existentibus dictis verbis; nam cum attentatorum repositio sit consequitivum, & dependens necessarium à delatione appellationis legitime & ejus præcisus effectus *cap. non solum de appell. in 6.* & sæpe diximus, ideo illis verbis datur fecunda providentia, ut si quid fortè iudex attentaverit, reponat; de quo enim serviet decernere, vim adesse: si vis non tollatur ex integro, & sic illa verba stant conditionaliter, si adit attentatum, ut videmus etiam in eodem decreto, quod solet poni clausula (ut leventur censuræ, & excommunicati absolvantur) quia intelligitur, si fortè excommunicati sint, ut benè per Cæned. in q. Canon. 45. *sub n. 39.* & ut plurimum nulla adest excommunicatio. Et quidem in iure talium sententiarum conceptio non est nova, siquidem videmus, in rei facta condemnatione cum fructibus, & tamen potest esse, ut fructus nulli debeantur, nec fuerint percepti, & in *remed. l. fin. Cod. de edit. divi Adri.* quæ absolute iudex mandat heredem mitti in possessionem omnium bonorum, quæ remanserint tempore mortis testatoris, & tamen intelligitur conditionaliter quæ remanserint, operatur enim, & verificatur, si fructus sunt percepti, & bona aliqua remanserint.

Deinde quia declarante Senatu, vim factam, & appellationi deferendum, tacitè subintelligitur attentatorum repositio (si quæ sint) prout ex Villadiego Joan. Gattier & Ceval. diximus *supra* in 6. *fundam. huius resolutionis. num. 27.* & ideo illa verba decreti. *orogues y reponga*, veniunt in ejus declarationem, & verba non possunt dici superflua, si apponantur ad majorem specificationem, & satis operari dicuntur, si tollant dubitationem, & magis declarant, Alexand. *co. fil. 33. vis. 2. thernate, num. 3. lib. 1.* Cravet. *confil. 35. num. 3.* Roland. *confil. 56. n. 29. lib. 3.* Ruin. *confil. 136. num. 10. lib. 3.* Tirraquell. *de retr. act. §. 1. gloss. 2. num. 28.* Cravet. *confil. 70. n. 29. versiculo si dicitur.* Card. Tusc. *pract. conclus. litera V. conclus. 87. n. 73.*

Ex prædictis igitur constans illa elicitur conclusio, ut sola denegata legitime appellationis delatio, etiam antea quam iudex deveniret ad attentatorum, & executionem, nempe, ex solo timore attentandi sufficiat ad invocandum Regiam protectionem, necnon ut decernatur, vim fieri, cum ad licitam defensionem interponendam animi deliberatio judicis (quæ colligitur aperte ex denegata delatione) duntaxat sufficiat; quæ conclusio ex mente est omnium Doctorum citatorum *cap. 53. 1. num. 16.* qui quidem, ut plurimum, & frequentius loquuntur, vim iudicem facere, non deferendo appellationi legitime, ided ut nullus ad recursum invocandum requiri, sime attentatum, & executionem præcedere (dempto uno Ceval. *leco citato supra*, ad *prim. arg. 4.*) & pro hac conclusione magis clarè loquitur pulchrè Sese *tract. de inh. cap. 8. §. 3. n. 70.* & melius *cap. 8. §. 1. n. 14.* & iterum optime idem Sese *tom. 2. decis. num. 114.* Pacian. *confil. 164. sub n. 4.* benè etiam sentit Cæned. in *quest. Canon. 45. n. 39. & sub n. 48. & 49. & sub num. 22.*

Quid autem dicendum est è converso; quando adest attentatum gestum præmissa delatione legitime appellationis



pellationis, an recurri possit ad Senatum per viam violentiæ, & facit difficultas, quia si detulit, non possunt verificari verba decreti, que orogno, ex quo apparet delatum. Sed contrarium verius est, ut licet deferat appellatiõ, si tamen attentet, & exequatur, potest vim fieri, declarari ex iis, quæ à princ. hujus questionis diximus, quia licet delationis negatio sit apta ad hujusmodi Regium recursum postulandum; tamen non est violentia perfecta, sed est principium, & pars illius, quia est actus, per quem detegitur voluntas iudicis violentiam inferendi; at vera vis tunc fit, quando exequitur injuste; scilicet, legitima appellatione pendente, quia tunc illa est perfecta violentia, ac ideo dum adest violentia, durat recursus, quia non sufficit verbaliter deferre, nisi simul reponat, quia ubi factus opus est, verba non sufficiunt, & propterea videmus dari secundam iussionem, ut cum effectu reponat, cum aliter non tollatur vis, ut supra diximus latè cap. 2. §. 1. & sic quousque reponat recursus, locum habet.

curfus in propulsanda violentia duo copulativè jubet iudici opprimenti fienda, ut scilicet, deferat, & reponat, & sic non sufficit unam tantum partem adimplere, sed requirit concursum copularorum, l. si heredi plures, ff. de condit. institut. Thesaur. decis. 189. num. 1. Moron. in tractat. de pace, quest. 447. num. 1. & 2. fol. 330. Felin. in cap. 2. num. 32. in versiculo copula, de rescript. Mandos. in gloss. facult. §. ac etiam in verb. pro tempore, fol. 247. col. 1. Plot. de in litem juran. §. 6. num. 33. fol. 84. quare concludendum est, quod quantumvis iudex detulerit, si tamen vel ante delationem attentaverit, vel post delationem, & nolit reponere, licet, & absque dubio poterit recurri ad Regia prætoriam, pro tollenda violentia: hoc modo contra supra, ut cum legitime appellasset, nolit iudex dequeratur, ut eam legitime appellasset, nolit iudex deferre & ad ulteriora attentando violenter procedit, datur ordinaria, quia dicitur, que orogno y reponga, si ipse respondeat, se detulisse, & nolit reponere debet acta omnino remittere, vel erit conquesto in Senatu iterum danda secunda iussio, ut reponat cum effectu, sicut in ordinaria continetur, & ita commaniter utitur, & prædicatur apud omnia Regia prætoriam, & alia etiam via poterit ad Senatum recurri, scilicet; comparando eorundem iudice Ecclesiastico, & ratificata priori appellatione; noviter etiam toto à processu, & attentato appellare, & adducto processu ad Senatum per viam violentiæ, totum reponi mandatur, quia cum sint facta tempore, quo ipse appellans potuit appellare à primo actu iudicis, totum ut nullam venit in repositione, prout alibi dixi.

Et dum hæc typis dabantur, perlegi Ceval. in com-63 man. contra commun. tom. 4. q. 897. num. 902. fol. 166 qui in hæc inquit: Quam violentiam cum ipsa consistat in exequendo appellatione remota, non verò in exequendo appellatione admiffa. (à qua assertione cavendum est, quia intolerabilia duo in se vitia includit, vulgarissimo stylo, & praxi, necnon juris dispositioni repugnancia: alterum dum dicit, quod violentia consistit in exequendo, appellatione remota, quasi dicat, quod sola appellationis denegata delatio, non existente, nec sequuta exequutione non poterit habere locum hæc cognitio per viam violentiæ, quod quam ingens sit absurdum, evidenter probavimus à principio hujus capituli.

Imò & ipse ex ipso convincitur, dum in eodem q. 897. n. 464. sequens Gondizal. de Paz. in prax. 1. p. 1. tom. 1. temp. num. 14. quod locum habet hic recursus, & potest quando timetur de exequutione, & violentia iudicis Ecclesiastici, eo uti, antequam graveur, & querimoniam libello in Senatu præsentato postulare ordinariam, ut iudex deferat, & reponat, ex eo, quia melius est ante tempus recurrere, quam post causam vulneratam remedium querere, juxta l. 1. Cod. quando liceat sine iudicio se vind. de quo nos alibi latius diximus cap. 2. à n. 75. quod quidem in fortioribus terminis procedit.

Secundum autem dum dicit; è converso, quod violentia non consistit in exequutione, appellatione admiffa, quasi dicat, quod dum iudex admiserit appellationem, & ei detulerit, licet exequatur sententiam suam non erit locus recurfui, quia violentia non adest quod tum à veritate, & à praxi frequentè aberraverit, hæcenus docuimus, quia, quando detulerit, major violentia adest, si attentaverit, quia majorem jurisdictionis defectum habet, cum per delationem omnimodam à se abdicavit jurisdictionem, & hæc attende.

Adverte denique, aliquando ad tribunalia exportati appellationem legitimam à iudice interpositam cum processu, cum ipse iudex respondit, auditur, quantum de jure locus est & aliqui putarunt, hoc esse idem, quod dicere defero, si & in quantum, &c. sed decipiuntur, quia hæc clarè admittit secundum juris dispositionem, illa autem sub verbis ambiguis potius rejicere intelligitur, ac propterea quoad violentiam tollendam,

de ea judicandum erit, ac si negaverit, & sic communiter practicantur in supremis tribunalibus, cum vigore ordinariæ, cui ipse respondere tenetur, animum suum detegit, & declarat, de quo senserit, an deferat, vel non & sic quoad hunc effectum invocandi auxilium regium, sufficit dicto modo respondisse.

- 15 Querela, & actio nullitatis à pari procedunt, & neutra suspendit sententiæ executionem.
16 Recursus ad Principem non censetur prohibitus, ubi prohibetur appellatio.
17 Recursus pro tollenda violentia est quid distinctum, & omnino separatum à justitia causæ principalis.
18 Jurisdictionis ad suspensionem nullus actus fortiori appellatione.
19 Appellatio, ubi extrajudicialiter opponitur, suspensivo effectu caret.
20 Recursus ad Regem totus est extrajudicialis, absque spe, ut aliqua via possit fieri judicialis.
21 Recursu pendente ad Regem si gesta à iudice forent attentata, Senatus ante actõrum inspectionem super articulo violentiæ, revocaret.
22 Recursu ad Regem pendente gesta insunt in articulo principali violentiæ, de quibus pariter judicatur, ac de gestis ante ordinaria intimationem.
23 Revocatio eorum quæ geruntur post ordinaria intimationem, pendet à futuro eventu, & sic regulatur à justificatione appellationis, & seqq.
25 Gesta post appellationem ex natura ipsius dicuntur provenire, & eorum revocatio pendet à futuro eventu.
26 Incertitudo, quæ verificari, & declarari potest ex futuro eventu sustinetur.
27 De attentatis gestis interim dum disceptatur, an appellatio sit admittenda, vel non, idem judicatur, ac de cæteris.
28 Recursu pendente ad Regem gesta si fuissent nulla, etiam quolibet decreto Regio lato, remaneret nulla.
29 Attentata durant etiam post appellationis desertionem, aut illius renuntiationem tacitam, vel expressam.
30 Decretum violentiæ non facit instantiam quominus iudex superior de appellationis admiffione, vel non admiffione cognoscat.
31 Decretum violentiæ arctat inferiorem, cum ejus virtute deferendo abdicavit à se jurisdictionem.
32 Acta recurfu pendente ad Regem, si fuissent nulla, sive Senatus, sive superior Ecclesiasticus reponere semper, quod tamen actenus nec auditum, prædicari est, sed pendet à determinatione articuli violentiæ.
33 Ordinaria intimata provisione, an iudex Ecclesiasticus possit taxare expensas, in quibus reum condemnavit.
34 Ordinaria intimata iudex Ecclesiasticus licet de rigore juris non teneatur supersedere, tamen ex urbanitate ob decorem debitum tante majestati, tenetur.
35 Recursu pendente ad Regem gesta licet vitio attentatorum non subiaceant, nec annullentur, tamen nullari solet iudex ob ejus irreverentiam.
36 Pendente recurfu, & actis originaliter transportatis ad Senatum, si iudex actum gerat, requirentem causæ cognitionem, nullus erit non ex capite pendentis recurfus, sed defectu causæ cognitionis.
37 Qui comprehenditur sub repositione vigore decreti violentiæ postea lati.
38 Recursu pendente, & actis ad Senatum transportatis, si iudex procedat ad actum requirentem causæ cognitionem, quo consulatur litigans, si Senatus decreverit super articulo violentiæ illam non fecisse iudicem.
39 & 43. L. Regia 46. tit. 4. l. 2. recop. ibi, remittan luego &c. para que el proceda, mirabiliter interpretatur, & ponderatur.
40 Recursu pendente ad Regem actis traductis differtur jurisdictionis exercitium, non jure operante, sed accidencia facti.
41 Recursus ad Regem non est articulus prejudicialis causæ principalis, sed favorabilis ad ejus faciliorem expeditionem.
42 Avocatione Principis jurisdictionis tollitur.
43 L. 36. tit. 5. lib. 2. ibi para que el proceda, ulterius interpretatur.

CAPUT VII.

Regia intimata ordinaria, & pendente recurfu ad Regem, an iudex Ecclesiasticus supersedere teneatur, ita ut interim ab eo gesta nulla, & attentata dicantur, & an termini interdum suspendantur, in quo quid censet Rota, refertur.

SUMMARIUM.

- 1 Superfedere tenetur iudex interim, dum articulus incidens terminatur ab alio iudice, cui cognitio competit.
2 Principe apponente manum in causa, iudex inferior debet superfedere, alias attentat.
3 L. 36. tit. 5. lib. 2. recop. ibi, para que el proceda, &c. acutè ponderatur.
4 Recursu ad Regem pendente, iudicem non posse ad executionem procedere sententiæ, qui teneant. 11. & 44.
5 Quod maximè procedit, quando recurfus intimatus est parti, & super eo citata, & à n. 44.
6 Processus originalis exportatio ad Senatum, fit ad ejus instructionem, & informationem.
7 Relatione ad Principem pendente an iterum gesta per inferiorem nulla dicantur.
8 Assertione Octaviani Pedem. dicentis in hoc recurfu suspendi iudicis jurisdictionem, nunquàm fuisse ablatam.
9 Cevallos opinio refertur assertentis pendere recurfu ad Regem, & facta ordinariæ intimatione, attentatum esse, & nullum factum à iudice Ecclesiastico & à n. 51.
10 Recursu ad Regem pendente, & intimata ordinaria, non esse nulla, & attentata quæ gerit iudex Ecclesiasticus, veriore, & receptiorem opinionem esse clarè ostenditur. & n. 44.
11 Recursu pendente ad iudicem, non impedit executionem sententiæ nec causat attentata.
12 Recursus ad Regem, & supplicatio à pari procedunt, & pariter in utroque inferiorem non suspenditur jurisdictionis, sed licet exequatur.
13 Recursus, quando provenit ex suprema jurisdictione, si non suspendit jurisdictionem inferiorem, ergo multò minus quando extrajudicialiter protegit per viam defensionis naturaliter.
14 Querela ad Principem pendente pro tollenda injuria, jurisdictionis inferiorem non suspenditur, quominus ad executionem procedat.